

Nil parcit tremulove seni, teneraq; puella,
Aut quos cunarum mollia strata fovent.
Omnem barbariem secum trahit agmine duro:
Nec Martis sese jam capit iste furor.
Si quibus est nostris pereundi tanta lubido,
Hac faciant Turcae sentiat arma manus!

Matth. 5. 9. Bellum habeant, qui bella volunt. Estote Beati
Pacifici! Christi dictio fausta jubet.

Consulte in medium! in melius convertite vitam
Omnes! o vitam corrige quicumque eris!
Si Dominus cunctos mortales cernat ab aethra,
Vix pius in multis millibus unus erit.
Rari quippe boni: numero sunt vix totidem, quot
Vel portas Thebae, aut ostia Nilus habet.
Nona aetas agitur, peioraq; secula ferri
Temporibus; vitium nescit habere modum.

Atq; stude votis avertere Numinis iram!
Na! veniam, sua qui facta fatetur, habet.

Parcit enim miseris: prosternit Iova superbos:
Hos meliore gradu promovet, hosce movet.
In nos & recipit mentemq; animumq; paternum,
Quos ex tota animi mente dolere videt.

Hinc malus ex voto si quis gerat omnia, perfer,
Qui pius es factus nec moveare malo.

Peccat enim, sevam subito qui colligit iram:
Tu potius finem respice, serq; moras.

Atq; iterans gemitus, veniam bene posce Jehovaham,
Corde subinde humiles ferre, memento, preces:

Luc. 18. 13. Stare procul, vultum demittere, tunderi pectus,
Exclamare: reo parce benigne Deus!

Dum praesto Deus est, & flecti numina possunt,
Effectu ut careat poena minaq; pete.

Non ea, quae nunc est, durabit gratia semper,
Gratia spreta semel, non reditur a fugit.

Nunc tua res agitur, jam jam te corrige, abibit
Cras, hodie cessas si quod habere bonum.

Disce